Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
PRIMA

DE NATURA ETHICÆ.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths
Altenburgô-Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Februarii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

ELIAS BRANDT Rostoch:

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,
Anno CIↃ IↃC XXXVI.

Erfurum Camaldulensium C. M. C. in Insula Wigrensi ex Legato Fr. Agathangeli

Sum Christiani Risii. R. B. ao 88. d. 3. Aug.

Disce mori, sequitur æternitas!

dicat Lector unum Pater et AVE pro eo.

Cum Deo!

DISPUTATIO PRIMA DE NATURA ETHICÆ.

MUltum est profecto animum inscitiæ rubigine exsuere, intellectum plurimarum rerum cognitione acuere, seq; totum artibus immergere; plus tamen, plus inquam, & majus, difficilius dixerim mores suos prudenter gubernare, indomitos affectus, cohibere, ad auream mediocritatem redigere, adeoq; cum bonis benè, tranquillè & honestè vitam transigere posse. Scis naturæ vim, vires, occulta? Rem magnam tenes. Nosti Metaphysicorum Entitates, Hæccæitates? modernorum multorum merebere applausum. Conversari didicisti cautè, callidè & nihilominus candidè? Majus habes. *Scholæ illud didicisti & tibi: Hoc vitæ, Tibi simul & aliis* uti ex Senecæ Epist. 107. rectè infert J. Lipsius lib. 1. doctr. Civil. cap. ult. Transeamus itaq; & nos ad hanc eruditionis partem, in qua, teste Lactantio lib. 3. de falsa sapientia cap. 7. cum utilitate mira simul oblectatio, & ex viretis inprimis Arist: flosculos nonnullos sequentibus Disputationibus comprehendendos decerpamus & fragrantia suaves & bonitate decoros. Quod si autem imposterum fortè una atque altera assertione ab hoc vel illo recesserimus Aristotelem secuti, non ideo

optimos authores & noſtrâ laude majores de ponte dejectos volumus, ſed cum Aquilæ Philoſophorum Ariſtoteli contradicere nobis religio ſit, in id incumbamus ſedulò ut Ariſtotelis mens citra aliorum præjudicium exponatur & veritas, cujus gratia etiam propria ἀναιρεῖν decere jam dudum lib. 1. Eth. cap. 7. ipſe monuit, defendatur. Quod ſi tamen nonnullis noſtræ expoſitioni calculum ſuum adjicere non placuerit, illis non noſtris ſed Socratis verbis ex Gorgia reſpondebimus: *Si eorum numero es, è quorum ego ſum, libenter abs te quæ inſtitui perquiram; ſin minus, dimittam. Et ſi quorum tandem è numero ſim ego, quæras, reſpondebo, ex eorum qui & libenter ſe redargui patiuntur & libenter redarguunt, ſi quid falſum ineptumve alii dixerint: imò qui non minus redarguuntur, quam redarguunt. Nam illud majus bonum arbitror, ut ipſe maximo quodam malo liberer, quam ut alios liberem. Nullum enim majus malum eſſe poteſt, quam eſt falſa opinio.*

I.

DOctrina de Moribus hodiè Ethica dicitur, quod vocabulum apud Ariſtotelem nunquam legi aſſerit Michael Piccartus vir in lectione Ariſtotelis verſatiſſimus in Prolegom. ſuper LL. Polit. habetq; Peripateticorum inter Germanos noſtro ſeculo eminentiſſimus Scherbius ibidem. Verum quamvis & nos ſi de ſubſtantiva vocis uſurpatione, quam quidem hodiè communiter urgent plurimi, diſputatio inſtituatur, prædictorum ſententiæ facilè ſub-

subscribamus, tamen in adjectiva significatione occurrere, locus ex lib. 1. Top. cap. 14. § 6. evincere videtur. Quod si tamen quis ibi Aristotelem non ex propria sed aliena sententia loqui in libro Exoterico, pro summorum horum fide virorum liberanda dixerit, ipsi dicam haud scribemus.

2. Appellare aliàs hanc doctrinam Stagirita consuevit περὶ τὰ ἤθη πραγματείαν lib. 1. Magn. Moral c. 1. & ἠθῶν θεωρίαν lib. 1. Rhet. c. 2. & l. 1. Polit. c. 3. in fine, ostenditq; ex professo c. 2. l. 1. Eth. in fine μέθοδον esse πολιτικὴν non solummodo, sed etiam ad Politicam tanq; ad μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν pertinere. Unde in 1. Rhet. 2. existimat par esse ut scientia de moribus Politica dicatur & ib. § 7. & 8. quicquid esse de moribus πραγματείας Politices habere. αὕτη γὰρ σκέψις ἐστὶ τῆς πολιτικῆς, ait in c. ult. l. 1. Eth. μέρος καὶ ἀρχὴ τῆς πολιτικῆς l. 1. Magn, Moral. c. 1. ἐκ τῶν στοιχείων τῆς πολιτικῆς. l. 4. Polit. c. 11. ita ut jure doctrina hæc non ETHICA sed POLITICA dicatur ibidem. Hinc qui de Summo Bono agit, Politicus audit lib. 1. Eth. c. 4 ut & lib. 1. Eth. c. 13. *Ubi ex veritate talis in hoc laborare maximè videtur ut ea quæ ad felicitatẽ pertinent virtutem scilicet contempletur. Vult enim cives efficere bonos.* Videatur insuper lib. 3. Eth. c. 1.

3. Ex quo apparet eos valde errare qui nihil Politicum agnoscunt, nisi vel Reipublicæ, ejusq; arcanorum Monarchiæ, Aristocratiæ, Democratiæ, belli, Majestatis mentionẽ faciat Amplior enim apud Peripateticos est Politices ambitus. Quemadmodum enim omnes bonum conjectant. *Nam omni ars, omnisq; methodus actio item atq; electio bonum quoddam expetere videtur* 1. Eth. cap. 1. *Ita principalissimum omnium bonorum principalissima* quæ cœteros omnes complectitur l. 1. Polit. Politica scilicet 1. Eth. 2 *cujus finis optimum bonum.* Hæc enim magnam diligentiam adhibet ut cives quodammodo efficiat, bonosq; & ad honesta agendas idoneos reddat πολιτικὴ γὰρ περὶ τὰ ἤθη 1. Rhet. c. 4.

4. Haud obscure item sequitur Politicam unam esse disciplinam & Methodum minimè ab Ethica vel doctrina morum tanquam

quam ſcientia ſpecie diſtincta differre, uti quidem Ammonius præf. in Iſag. Euſtratius in præf. Damaſcenus Dial. c. 3. Thomas 1. Eth. in princ. Aciajolus ib. qui exiſtimant pro triplici hominis conſideratione, tres oriri diſciplinas Practicas, quarum prima hominem in ſolitudine, altera hominem in familia, ultima hominem in Civitate. Hæc tamen horum expoſitio extremè adverſatur Ariſtoteli l. 1 Eth. c. 5. (cap. 7 ſecundum Riccobonum & Acciaj.) qui unam Methodum in Politicis agnoſcit l. 7. Polit. c. 2. doctrinamque de Moribus ſub ea tanquam principium comprehendit l. 1. Magn. Mor. c. 1. Poſtquam etiam ſufficientem ſibi felicitatem eſſe aſſeruerat explicat quid ea voce ſibi velit, atq; ita ait: *Cum felicitatem inquirentes dicimus eam debere eſſe ſufficientem, non reſtringimus ſufficientiam ad unum aliquem aut ſolitarium hominem ſed ſufficere debet ea primum beato ipſi.* Quod imprimis in Juſtitia (*Jus enim quod quæritur & ſimpliciter Jus & Jus Civile eſt l. 5. Eth. c. 6.*) amicitia, virtutibus Homileticis conſpicuum eſt, quæ in ſolitudine velle exercere abſonum eſt.

5. Fluit & hoc Ariſt: conſilium primarium in Practicis eſſe conſtituere & formare optimam civitatem, optimamq; Rempublicam, inde enim denominare hanc diſciplinam voluit ut Politicam ſalutaret. Conſtitutio autem ac quæ ex hac fluit adminiſtratio Reipub: cum actio ſit, in finem (qui proportione quidem actioni reſpondere debet) meritò debet dirigi. Jam autem cum finis in practicis ſit *principium rerum agendarum* ſecundum cap. 5. lib. 6. Ethic. αἱ μὲν ἀρχαὶ τῶν πρακτῶν τὸ οὗ ἕνεκα τὰ πρακτά, quærendum ante omnia Ariſtoteli fuit quinam eſſet finis optimus, & quæ ad hũc finem facerent; quod ab ipſo optimè præſtitum in iis libris quos ἠθικοὺς l. 4. Polit. c. 11. & l. 7. Pol. c. 13. & alibi vocat, inter quos Nicomachici eminent omnium eruditorum calculo.

6. Aliter quidem Ciceroni viſum fuit l. 5. de Fin: bonorum & malorum, huic in modum ſcribenti: Teneamus Ariſtotelem & ejus filium Nicomachum cujus accuratè ſcripti de moribus libri dicuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis, ſed non video, cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius. Hinc Guarinus Veronenſis exiſtimavit hos libro-

libros â discipulo Aristotelis conscriptos & Franciscus Patritius l. 4. Tom 1. discussionum Peripateticarum ne videretur sine ratione his prædictis libris fidem denegasse, nonnulla in medium producit argumenta quibus Ciceronis assertum statuminare aggreditur, sed conatu planè irrito, uti post Francisc. Piccolomineum in Introd. Civil scientiæ c. 13. feliciter demonstravit Antonius Riccobonus, in Præfat. Com. Ethicorum p. 27. qui h. l. consulendus est.

7. Aristotelem enim authorem esse & stylus, & Methodus, locaq; l 6. Eth. c. 3. & l. 7. Pol. c. 13. ut & alia ostendunt, quæ adduceremus nisi Piccolomineus hoc labore nos sublevasset. Nicomachicos autem Ethicos dictos vel quia Nicomacho filio congruebant, ejusq; conditioni erant accommodati quod insuper vult Piccol. l. c. c. 12. vel ob differentiam ab Eudemiis; vel quia filio inscripti, uti Eustratius opinatur.

8. Id quod § 6. asseruimus non nostrum sed Aristotelicum est, & â præstantissimis aliis Peripateticis observatum. Ita Sragirita enim clarissimè in l. 7. Pol. c. 13. ponit ἐπεὶ δ', ait, τὸ προκείμενόν ἐστι, τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἰδεῖν, αὕτη δ' ἐστὶ, καθ' ἣν ἄριστ' ἂν πολιτεύοιτο, πόλις ἄριστα δ' ἂν πολιτεύοιτο, καθ' ἣν εὐδαιμονεῖν μάλιστα ἐνδέχεται τὴν πόλιν. δῆλον, ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν δεῖ, τί ἐστι μὴ λανθάνειν, φαμὲν δὲ καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς. i. e. *cum vero propositum nobis sit optimam Rempub: considerare, ea verò sit optima Respublica per quam civitas optimè gubernatur, optimè acutem gubernatur, quam maximè contingit felicem esse, manifestum est quid sit felicitas ignorari non debere, ut de ea in Ethicis diximus.*

9. Eò etiam collimat locus in c. 1. l. 1. Magn. Mor. *Quoniam propositum nobis est* (verba sunt Aristotelis) *agere de virtutibus, primum illud videndum, cujusnam scientiæ vel disciplinæ pars sint mores sive moralis facultas. Ut igitur paucis absolvam, non alterius videtur pars esse quã Politicæ. Civilibus enim in rebus nisi sit aliquis certo modo affectus effici nihil potest, sed oportet virtutis esse studiosum* (σπουδαῖον) *qui virtutibus est præditus.* (σπουδαῖον *enim idem est quod virtutes habere*) *Oportet igitur si quis secundum Politices sive civilis scientiæ præcepta agere velit enim moribus probis ac compositis esse; unde*

 appa-

apparet Politices partem ac principium esse tractationem de Moribus: ut in totum jure mihi videtur omnis hanc disputatio non Ethica sed Politi- appellanda.

10. Aristotelem secuti fuerunt Felix Accorombonius in com. Ethic. & Jacobus Mazonius in præludiis Philosophiæ Aristotelicæ & Platonicæ Sect. 6. c. 2. p. 244. Michael Piccartus in Delineatione Arist. Philosoph. c. 18. neq; dissentat Obertus Giphanius in præf. Com. Imò Interpretum Græcorum doctissimus Alexander Aphrodisæus in Com. sup. l. 1. Priorum Anal. eò digitum intendit, *atq; Aristot: in prioribus Analyticis agere ait, de syllogismo tanquam principio demonstrationis, ut fererit in Morali facultate, in qua volens Rempublicam constituere in Ethicis prius tractant de virtutibus tanquam de principiis facultatis Civilis, quoniam societas sine virtutibus consistere nequeat.*

11. Prolixi sunt hoc loco Interpp. in qua natura principii Ethices seu doctrinæ de S. Bono & Moribus, quæ hodiè Ethica appellatur consistat, quomodo item dividenda. Gualt. Donalds. Scotus in Synopsi Philosophiæ Moralis Ethicam practicæ Philosophiæ partem absolutam definit, de Summo hominis Civili bono assequendo. Et hunc multi ut solent sequuntur.

12. Nos tamen hanc explicationem neq; Peripateticam, neq; veram existimamus. Non Peripateticam: Aristoteli enim Civilem facilitatẽ Philosophiæ controdistictam esse ex l. 7. Pol. c. 2. novimus, ubi vitam aliam Civilis & Politici aliam vero Philosophi facit. Et licet ibi dicat quidam vitam contemplativam ad eum referre quem quidam Philosophum solummodò vocant. Se tamen in horum numero contineri expresse asseruit l. 2. Met. c. 1 ὀρθῶς γὰρ ἔχει καὶ τὸ καλέσαι φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικήν. Rectè se habet (quod veteres olim & τινες φασι quidam dixerunt) Philosophiam appellare (in schola Peripatetica) scientiam veritatis Theoreticam. Sine dubio autem secutus est veteres in vocis hujus usurpatione, qui ante Socratem Philosophi dicti fuêre. Primus enim Socrates, teste Cic. â rebus occultis & ab ipsa natura involutis, in quibus occupati erant, avocavit Philosophiam & ad vitam comunem addu-

adduxit. Eadem ferè, idem habet l. 5. Tuscul. neq; abludit Valerius Maximus l. 3. c. 4. Aug. l. 8. de C. Dei c. 1. Imò expresse docet A. l. 1. de part. animal c. 1.

13. Non quidam me latet quod hodiè communis sit sententia quam Peripateticam expressè nominari multi audent imò ex Aristotele eum Theoreticæ finem veritatem, Practicæ opus assignat in Metaphysicis volunt probare uti quidem Benedictum Pererium l. 1. de Phil. c. 2. facere deprehendimus duplicem esse Philosophiam vel ut alii loqui malunt duas esse partes Philosophiæ Theoreticam unam, Practicam alteram. Verùm quamvis de nomine nemini facilè litem movero, Peripateticam tamen & Aristotelis esse pernego. Imò nullâ ratione firma eam posse confirmari penitus hactenus sensi, ut, etiamsi mihi ab Aristotele esset recedendum, mallem cum Stoicis & Platonicis tertium membrum addere & ita cum antiquioribus Philosophis statuere, quam sine ratione à Stoicis, Platonicis qui Physicæ, Ethicæ & Logicam insuper adjunxêre uti ex Cicer. l. 1. Acad. qq. & passim, Plutarcho l. 1. de placitis Philosophorum c. 3. Alcinoo l. de doctrina Plat. Diog. Laert. in vita Platonis, August. l. 8. de Civ. Dei c. 3. & Eusebio l. 11. de Præpar. Evangel. videre est, & Aristotele recedere.

14. Tantum enim abest ut Aristoteles in l. c. Met. ex propria sententia Philosophiam in Theoreticam & Practicam dividat, ut potius ostendat ideò Practicas scientias (scientiæ enim vocabulum latiùs h. l. sumi ex l. 6. Met. c. 1. facilè cognoscitur) à nomine Philosophiæ arcendas, quod non veritatem sed opus pro fine agnoscant.

15. Quò etiam debet referri locus l. 4. Met. c. 2. τοσαῦτα μέρη φιλοσοφίας ἐστὶν ὅσαι αἱ οὐσίαι Tot Philosophiæ partes (subjectivæ) quot substantiæ (quæ scientias constituunt & quæ non sunt ejusdem generis scientiæ uti paulò ante loquitur sed universalia genera & principia uti l. 12. loquitur) Tres autem ejusmodi substantias l. 12. Metaph. c. 1. enumerat *Verum tres sunt substantiæ, inquit, una sensilis, cujus quædam sempiterna, quædam corruptibilis, quam omnes concedunt veluti plantæ & animalia. Sempiterna vero (cujus elementa sivè unum sivè multa sint, accipere necesse est) alia immobilis,*

quam

quam aliqui ſeparabilem ajunt eſſe quidam in duo dividentes, quidam in unam ponentes naturā tàm ſpecies quam Mathematica, quidam ex his Mathematica ſolùm In l. 2. Phyſ. c. 7. §. 70. τρεῖς πραγματείας vocat. *Quamobrem tria ſunt negotia; hoc quidem cum mobile, illud v. circa mobile quidem ſed incorruptibile aliud autem circa corruptibilia. Quæ tres Subſtantiæ ſive* πραγματείαι *tres Philoſophias theoreticas (nullas enim alias agnoſcit Philoſophus) abſolvunt, unde concludit l. 6. Met. c. 1. in fine ferè. Quare tres utiq; erunt ſpeculativæ Philoſophiæ, Mathematica Phyſica & Theologia.* De quibus ex profeſſo alibi.

16. Falſam etiam Donaldſoni & ſequacium ſententiam eſſe ex eo colligitur. Nam ut nihil dicam quod partem tranſcendentalem terminum pro genere venditat & quidem Logico, illud imprimis urgebo quod 1. genus remotū in definitione ponatur ſine differentiarum intermediatum adjectione, quod contra naturam definitionis eſſe ex Ariſt. l. 6. c. 3. (c. 4 §5. ſecundum Pacium) diſcitur. Jam autem poſito quod genus latius accipiatur pro conceptu communi, tamen non omnia quæ inter cedunt inter partem & Philoſophiam, quæ ex prudentia & ſapientia (quæ vox inuſitata etiam eſt in hac ſignificatione veteribus Philoſophis & inde etiam explicatio hæc minus congrua) conſtat, Sunt enim partes aliæ ſubſtantiarum, aliæ accidentium. Partes accidentium aliæ quantitatum aliæ qualitatum. Qualitatis aliæ habituum & quidem vel theoreticorum vel practicorum. Hos autem conceptus intermedios omiſſos quis non animadvertit?

17. Præterea quis non novit licet habitus v. Phyſica, Metaphyſica, dupliciter poſſint conſiderari & ſæpè etiam conſiderentur à Philoſophis, ABSOLUTE ſc. & RELATE; poſteriorem tamen conſiderationem nunquam à Philoſophis utpote accidentalem attendi. Sic primam Philoſophiam A. *l. 4. Met. definit quod ſit ſcientia quæ contemplatur Ens quat. Ens* nulla habita ratione ad reſpectum, quem excludere non debuiſſet, ſi eſſentialis Metaphyſicæ fuiſſet.

18. Vellem etiam 3. ut Donaldſonus expoſuiſſet qualem nam partem intellexiſſet, an eſſentialem an integralem, an ſubjectivam,

vam,

vam, an aliam. Certè si dissimularem intellexit totius Integralis sine dubio erravit, partes enim dissimulares totius Integralis sunt, quæ quantitatem includunt. 2. nunquam denominationem Totius sibi venditant quod rectè in hac ipsa controversia urget Zimara 6. Met. contr. 5. Atqui Philosophiam practicam in ipsa definitione nominavit Donaldsonus.

19. Potestativam partem Philosophiam practicam posse dici autumat non nemo, quem propter singularem eruditionẽ nunquam non amavi. Verùm si id verum est quod Thomas p. 2. q 77. a. 1. habet quod *totum potestativum secundum totum suam essentiam singulis adest suis partibus, non tamen secundum totam suum virtutem*, eruditissimi hujus viri assertio vel potius effugium locum habere nequit. Philosophia enim (ex mente illius loquor contra quem disputo) secundum totam suam essentiam quod scilicet est habitus animi naturalem hominis perfectionem contemplatione rerum, actionumq; prudentiâ adimplens non adest singulis suis partibus v. g. Theoreticæ Philosophiæ quæ actionis prudentiâ non adimplet perfectionem hominis.

20. Nec est ut quis cum Piccarto viro aliâs in Peripateticæ Philosophiæ expositione incomparabili ad analogiam hoc loco confugiat. Nam ut nihil dicam de eo quod hactenus nemo analogicam rationem, in quanam participatio Philosophiæ Practicæ cum Theoretica in communi conceptu Philosophiæ consistat, distinctè vel aliqualiter potuerit exprimere, id h. l. nego quod analogia faciat quod partes v. g. similiares possint nomen totius habere. Hoc enim essentiam partium dissimilarium tollete ex 2 de part. animal. c. 3. colligitur. Analogia autem ex partibus dissimilaribus facere non dissimilares nequit.

21 Meliorem ergò illorum explicationem judicamus qui doctrinam vel scientiam de moribus HABITUM PRACTICUM *volunt hominem ad beatudinem Civilem consequendam in formans.*

22. Genus est *Habitus Practicus*. Prædicatur enim de Ethica & Theologia tanquam pluribus specie differentibus in quid.

Theologiam enim specie differre ab Ethica ex fine, principiis & mediis colligitur, quæ essentialiter à Summo Bono, cui in Theologia vita æterna, & principiis rationis, cui verbum revelatum, virtutibus cui fides & sacramenta respondent, distinguuntur. In numero etiam habituum Prædictorum Theologiam inveniri post Flacium sufficienter probavit *Georgius Calixtus Theologus doctißimus & ab omni solida eruditione commendatus in Epitome Theologiæ f. 4. 5.*

23. Recedit à nostra thesi D. Sagittarius in Templo virtut. Exerc. 1. q. 1. & Exoter. 1. Theorem. 1 p. 11. tribus fundamentis artem propugnans 1. ex definitione artis & Luciani & A. 2. ex eo quod Philosophia sit artium liberalium comprehensio E. & Ethica ars. 3. Authoritate Scaligeri Exercit. 1. s. 3. cujus tamen assertio cum nihil difficultatis habeat, & jamdudum ab aliis sufficienter sit explosa, nugis his immorari operæ pretium non ducimus.

24. Differentia mentionem facit 1. subjecti operationis, quod est HOMO. In quod enim finis introducendus est, id est subjectum operationis secundum ea quæ habet Zabar lib. 1. de N. Log. Atqui in hominem introducitur finis Ethices v. g. Summum Bonum, homo enim summo bono est præditus. Ergo etiam homo est subjectum operationis Ethicæ.

25. Ubi notamus nos loqui de subjecto operationis. QVOD uti ex Castanæo communiter distinguunt, non QVO. Quia enim in seqq. hæc Disputatio ex professo pertractanda erit, an voluntas an appetitus sensitivus pro objecto immediato & quo operationis agnosci possit, ideò à difficili controversia in præludio meritò abstinemus.

26. Quia autem Ethica hominem considerat non ut hominem ideò in nostra definitione sequentibus verbis Modus considerandi qui restringit rem consideratam (quid his terminis innuatur nemini non ex Zabar. constat) proponitur qui est informatio ad Summum Bonum civile consequendum.

27. Summum Bonum ergò Civile sive Practicum ut pote principium Politicæ & Civilitatis sive Reipublicæ, imposterum à nobis in seqq. Disputationibus exponendum erit, quod cum essentiali-

tialiter Virtutes Morales exposcat, & de his & quæ ad harum explicationem faciunt agendum erit.

28. Ex quo simul etiam colligitur quidnam imposterum in hoc nostro Collegio Dominis auditoribus proponendum erit. Principaliter sc. SUMMUM BONUM considerabimus, quod cum in Virtutum exercitio consistat, Virtutum etiam ratio & quæ ad harum genuinam intelligentiam necessariò faciunt, habebitur. Quia autem & Summum Bonum & Virtutes bona humana & quidem animæ sunt de anima etiam (quat. tamen satis est ad ea quæ hîc quæruntur. Exactius enim absolutiusq; doctrinam hanc excutere laboriosius est ac difficilius, quam præsenti negotio conveniat l. 1. Eth. c. ult.) in hoc Civilis doctrinæ exordio agere necessarium erit cum Aristotele l. c.

29. Aliis aliæ divisiones placent, quas tunc natas arbitror postquam unusquisque sibi excogitandi quicquid vellet, licentiam sumsit. Tritissima est, quâ Ethica in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν, i. e. doctrinam de Summo Bono & Virtutibus dispescitur quam ex tribus conditionibus optimam probat Sagittarius 1. quod exhauriat totum divisum. 2. quod membra dividentia consentiant cum toto, inter se verò discentiant. 3. quod sint proxima & immediata. Clemens tamen Timplerus l. 1. System. Ethic. c. 2. q. 2. p. 15. aliam illâ suo saltem judicio meliorem habet Ethicam enim in ἀρετολογίαν & πραξιλογίαν distribuit. Etsi, inquit, non simpliciter rejicienda est illa in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν; convenientior tamen illa quæ ex subjecto proprio petitur, & (addit 2. rationem) quia æquè latè patet, ac ipsa Ethica, ita ut neq; eam excedat, neq; ab ea excedatur. Utramq; non laudant alii, quibus hæc arridet, ut *Ethicam in partem communem & propriam* dividant, è quorum numero est Zacharias Schneiderus Disp. 1. Eth. *Communis est, in qua de Summo Bono & de Virtute in genere: Pars vero Propria qua de Virtutibus in specie agitur.*

30. Nos quamvis unicuiq; quid sentire hac in parte velit, facilè permittamus, id tamen satis admirari non potuimus, cur non etiam alias partes, vel ψυχολογίαν vel ἀκουσιο vel ἑκουσιολογίαν

 admit-

admittant cum & de his Ethica sit sollicita. Quod si dixerint ad virtutem vel summum Bonum hæc referri, & ideò ibi explicari quod vel ad Civile Bonum, vel ad Virtutes faciant idem nos sentire de ipsorum partibus judicabunt. Sufficit enim nobis Summum Bonum ad quod tamq; ad ultimum finem Civitatis & Reipublicæ referuntur, & hujus gratiâ in Ethicis explicantur. Hoc cum sit uniforme neque multiplicare neq; alia atq; alia consideratione se affici patiatur, etiam divisionem disciplinæ, ad quam spectat, vix admittet. Ex fine enim in Practicis disciplinis divisionem si quæ datur sumendam, quemadmodum in Theoreticis ex subjecto, ii qui etiam parum in Peripateticorum & modernorum authorum scriptis sunt versati norunt.

31. Meliorem Interpretum Aristotelis laborem judicamus qui in textu Aristotelis enucleando sunt occupati, quos sequi etiam nimium quantum vellemus. Verùm cum alia nos jam excludant, receptæ consuetudini & nos imposterum morem geremus.

32. Id tamen hoc loco præterire nolumus, libros Ethicos, ad Nicomachum, ex quibus imprimis nostræ theses petamus, tribus absolvi partibus, quarũ prior Prœmium est, altera πραγματεία ipsa. Tertia Epilogus.

33. *Procemium* tria exponit, & c. 1. 2. & 3. l. 1. absolvitur unde Eustratius etiam tria Procemia appellat, quorum *primum* scopus operis *alterum* qualitas Methodi & *tertium* de idoneo auditore Ethices agit.

34. *Scopus operis* exinde aperit, quando c. 1. & 2. Summum hominis bonũ dari demonstrat illudq; ad Politicam pertinere evincit. Hoc ut ostendat Hypotheses quasdam præ notat ab universali sententia (qualis plerumq; in exordiis librornm v g. Methaphys. Phys. Analicorum & L L. de C. conspicitur) orditur. *Omnem artem sc. & omnem Methodum similiter & actionem & praelectionem appetere bonum. Unde etiam omnes conveniunt Boni nomine id intelligentes quod omnia appetunt.* Cum autem bonum & finis reciprocentur, de finibus dicere pergit, quod quidam sint actus, quidam præter actus opera, inter quos ille semper præstantior est, qui posterior. Inde etiam

jam in architectonicis artibus fines sunt præstantioris illis qui in subjectis artibus (qua de differentia vide l. 2. Phys. t. 25.) occurrunt.

35. Ex quibus Hypothesibus evincit c. 2. dari S. B. cujus cognitio πρὸς τὸν βίον μεγάλην ῥοπὴν habet, quodq; ut scopus Sagittarii ad κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν, Politicam sc. reduci debeat. Hæc enim quas scientias in civitate esse opertere & quales cujq; discendæ sint & quatenus, describit, cui ideò etiam subjacent eæ facultates quæ inter cœteras maximo sunt honore ut Militaris, Oeconomica, Rhetorica, ib.

36 Circa Imperium autem Politicæ unicum hoc notandum est (alia enim circa præsentem materiam adducere theses & institutum non permittunt.) quod scientiis minimè imperet, hæ enim altioris sunt conditionis sed tamen scientiarum gratiâ & pro scientiis. Ipsum Philosophum nunc se explicantem audiemus ex l. 6. Eth. c. 13 § 16. *Verum tamen neq; Domina est Sapientiæ, neq; melioris partis; quemadmodum nec necessitatis Medicina: sed providet quomodo efficiatur. Illius igitur causâ præcipit, sed non illi.* Videatur Antonius Monteratinus in Præfat. 1. Politic. pag. 11. Aliter respondet Franc. Suaret. Tom. 1. D. 1. §. 5. in cujus responsione unum atq; alterum desideramus.

37. Architectonica autem dicitur non simpliciter Politica, ita enim potius Metaphysicæ hoc elogium debetur l. 1. Met. c. 2. sed secundum quid nimirum inter Practicas quarum munus est agere, uti rectè annotavit Monterat. l. c. p. 129. Bonamicus lib. 1. de motu p. 120. Riccobonus in Com. h. l. Acciajolus & Guilielmus Burlæus.

38. *Alterum Procemii* membrum in c. 3 initio occurrit ubi A. ex subjecta materia qualitatem Methodi & ex parte docentis & discentis demonstrat. *Sat est, inquit, de rebus ejusmodi & ex rebus ejusmodi sermonem habentes, crasso quodam modo & τύπῳ veritatem ostendere & de iis quæ sunt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ & ex talibus disputantes talia quoq; conficere. Discentis autem est veritatem exquirere in unoquoq; genere, quatenus rei postulat natura.*

39. *De ultimo* Auditore sc. genuino in altera capitis parte, ut & l. 6. Eth. cap 6. In qua Juvenem scilicet ætate & moribus (culpa enim non in tempore sed in eo quod quis convenienter suis affectibus & vivat & unum quodq; persequatur) & Intemperantē arcet. Cum n. Politica doctrina de actionibus sit, illum non auditorem dicit genuinum qui præcepta addiscere vel qui Politicum de his disserentem audire potest, sed qui dicta exsequi & ad agendum idoneus est.

40. Audire & intemperans & Juvenis τὴν ἡλίκιαν & τὸ ἦθος benè possunt, imò magno cum fructu sæpè audiunt, quemadmodum Polemon. Hic enim cum ebrius & hederâ coronatus aliquando Academiam Athenis irrupisset, dissertatione â Xenocrate de Temperantia habita, in viam revocatus fuit, adeo ut ex juvene turpissimo sapientissimus evaderet Philosophus, ut habet Diog. Laert. in ejus vita lib. 4. & Horat. l. 2. Serm. Sat. 3.

Quæro, inquit, *faciasne quod olim*,

Mutatus Polemo; ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce Magistri.